

S. I. MERCATI

ANIMADVERSIONES IN ROBERTI VALENTINI
DISSERTATIONEM DE SEPTEM SERMONUM EPHRAEM
VERSIONE QUADAM ANTIQUA

Estratto dal *Bessarione*. XXIV (1920)

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA IN INSTITUTO PIO IX
(IUVENUM OPIFICUM A SANCTO IOSEPH)

—
1921



150842

Bibliothèque
SALOMON REINACH

In dissertatione, quae inscripta est « De septem sermonum Ephraem versione quadam antiqua » (1), Robertus Valentinius v. cl. contendit Latinam septem sermonum S. Ephraem Syri interpretationem, cuius Vincentius Bellovacensis in *Speculo Historiali* XIV, 87 meminit, ad saeculum duodecesimum pertinere et ad eam Galliae partem, quae Angliam attingit, ubi, si qui hac aetate fuerunt Graeca Latinaque iuxta callentes, ex Gallicis ludimagistris ac scholis omnium liberalium disciplinarum viam rationemque perdidicerunt (2).

Quam sententiam huiusmodi argumentis et signis confirmari opinatur: primum interpretationem tam horridam et impolitam esse, rudem ac deformem, ut sordes verborum postrema medii, quod dicitur, aevi saecula redoleant; deinde nullos codices exstare, ante saeculum duodecesimum exaratos eam continentes explicationem; postremo ecclesiasticorum scriptorum nullum ante Vincentium Bellovacensem (1250) de hac interpretatione quicquam cognitum comperitque habuisse (3).

Quae cum nos perlegentes stupore atque admiratione affecti essemus, quod mira audacia et temeritate scriptor falsa et inania contexisset, quamquam Valentini dissertationem libenter silentio praeterieramus, nonnulla tamen, ad praecavendos legentium errores, in ea animadvertenda et notanda censuimus (4).

Ac primum quidem quod ad dicendi genus attinet, Valentinius brevius et leviter rem attingit, cum praesertim nulla argumenta adferat ad demonstrandum versionem postrema medii, quod dicitur, aevi saecula potius quam prima redolere. In quo deceptus

(1) Cfr. *Didaskaleion* 5 (1916) pag. 37-46.

(2) O. c. p. 46.

(3) O. c. p. 43.

(4) Cfr. E. CHATELAIN, *Revue de Philologie* LI (1917), *Revue des Revues* p. 106: « Cette traduction peut remonter au XII^e siècle ».

fuisse videtur codicis Casanatensis 1366 sordibus, unde aliquot sermonis *De compunctione cordis* textus exscripsit (pag. 41-42), quos cum locis a Bellovacensi excerptis conferret. At hic codex cum turpissimis scateat mendis, minime tradit vera interpretis verba, quae a corruptelarum sordibus optimorum vetustissimorumque librorum ope facile sunt purganda (1).

Quae autem Valentinius addit: « haec interpretationis verba iungi copularique cum eo explicationum genere, in quo saeculo XII quidam elaboraverunt non tantum in Italia Angliaque, sed etiam in ea Galliae parte, quam Belgicam et Brabantiam dicimus » (2), longissime a vero absunt, atque inde videntur excogitata, quod Val. scribens mente agigaret admirabiles progressus illam Galliae partem saeculo XII habuisse (3) et codicem Vaticanum latinum 6443 cuiusdam ex cardinalibus Rothomagensibus, cui nomen Petro, fuisse (4).

Sed ut falsa refellenda est etiam Valentini adfirmatio nullos codices esse inventos saeculo duodecimo antiquiores.

Antequam id pro certo adfirmaret, cur non evolvit, ut unum tantum librum adferamus, BECKERI *Catalogos Bibliothecarum Antiquarum* (Bonnae 1885), in quibus permulti Ephraem codices commemorantur saeculis VIII, IX, X, XI in variis bibliothecis exstantes? Velut:

a) in catalogo ecclesiae Centulensis sive S. Richarii (= St. Riquier) anni 831 Cod. 163 Ephrem de die iudicii (5);

b) in catalogo Everardi comitis Foroiuliensis anni 837 cod. 20 librum Ephrem (6);

c) in catalogo Coenobii Bobiensis saeculi decimi cod. 230 librum Effrem Diaconi et cod. 235 librum Effrem I in quo habentur epistolae Fulgentii et Hieronymi (7);

(1) Loci angustiis impedimur quominus adferamus specimina quaedam recensionis, quam ad fidem codicum optimorum digessimus: quorum praestantia clarius elucebit, perpurgata ista colluvie, qua foedati sunt eius postremi nepotes, quos solos Valentinius novit.

(2) O. c. p. 43.

(3) Qua de re Val. fusius egit in *Didaskaleion* 4, 1915 pag. 113-115.

(4) O. c. 5 (1916) p. 39 nota 2. Opinionem sane retractasset Valent., si catalogos Codicum Vaticanorum diligentius perlegens incidisset in Cod. Vaticanum lat. 3539 manu Beneventana s. XI exeunte exaratum (fol. 70). Cfr. LOEW, *The Beneventan Script*, Oxford 1914 p. 363.

(5) BECKER, o. c. p. 27.

(6) p. 29.

(7) p. 67.

d) in breviario codicum monasterii Laureshamensis (= Lorsch) saeculi decimi cod. 476 liber sancti Ephrem in uno codice (1);

e) in catalogo coenobii S. Emmerani annorum 975-1000, 293-295 libri tres Effrem (2);

f) in catalogo Tulli Leucorum (= Toul) ante annum 1084 cod. 102 liber Effrem vol. I; cod. 103 item liber Effrem scoticum volumen (3).

Quod si quis ex eo quod hi catalogi inscriptionem tantummodo (liber S. Ephraem) exhibent, non putet Latinam interpretationem, quae in memoratis codicibus traditur, unam eandemque esse atque interpretationem, qua Vincentius Bellovacensis est usus, eum delegamus ad catalogos, qui distincte describunt quae singulis codicibus continentur.

Sed cum numerus codicum saeculo duodecimo antiquiorum Ephraem opuscula ostendentium paene infinitus sit, satis superque est nominare:

1) Cod. Audom. (= Saint-Omer) 33 bis s. VIII: cfr. *Catalogue Général des Manuscrits des Bibliothèques publiques des Départements* III, pag. 27;

2) Cod. Laudun. (= Laon) 121 s. VIII: cfr. o. c. I, 101;

3) Cod. Barberinus-Vatic. lat. 671 (XIV, 44) s. VIII-IX, olim monasterii Septimi prope Florentiam (4): cfr. REIFERSCHIED, *Bibliotheca Patrum Latinorum Italica* I, 166 et TRAUBE, *Vorlesungen und Abhandlungen*, I (München 1904) pag. 228;

4) Cod. Harleian. 3060 s. VIII: cfr. *Catalogue of the Harleian Collection of Manuscripts* II:

5) Cod. Taurin. lat. G. V. 7 olim Bobiensis 41 s. IX: cfr. CIPOLLA, *Codici Bobbiesi della Biblioteca nazionale universitaria di Torino*, Milano 1907, pag. 119;

6) Cod. Berol. lat. theol. 307 s. IX ineuntis: cfr. ROSE, *Verzeichnis der lateinischen Handschriften der kgl. Bibliothek zu Berlin* II, 1, pag. 89 s.;

7-8) Codd. Sangall. 92 et 93 saec. IX: cfr. *Verzeichnis der Handschriften der Stiftbibliothek von St. Gallen*, 36 s.

(1) BEKKER, o. c. p. 112.

(2) p. 128.

(3) p. 151. Alios Ephraem codices memoratos invenies pag. 175, 176, 188, 196, 209, 213 etc. Cfr. praeterea BEER, *Handschriftenschatze Spaniens* n. 552: « Oveco, Bishof von Leon, schenkt era 988 (950) an dieses Kloster... spiritalis libros X id sunt Vitas Patrum, Beati Ephrem, Beati Prosperi... ».

(4) Igni consumptus est bello francogallico-germanico anni 1870 cod. Mettensis 134 s. VIII: cfr. *Catalogue...* V, pag. 53.

9-10) Cod. Monac. lat. 6330 s. VIII-IX et 6293 et 14364 saec. IX; cfr. *Catal. Codd. lat. Bibliothecae Regiae Monacensis* I, 3 pag. 92 et 97; IV, 2 pag. 162.

Quibus codicibus Edesseni diaconi sermones complectentibus longum est permultos adicere, qui hunc aut illum sermonem tantum exhibent, velut Paris. lat. 12634 s. VII-VIII fol. 78-142^v; cfr. *Le Cabinet des Manuscrits* II, 56, III 212 et Tab. VIII, 4; DELISLE, *Inventaire* II, 64; Monac. lat. 6293 s. IX fol. 6, 15821 s. IX fol. 132, 14364; Montepessul. 404 s. VIII-IX fol. 10, cfr. *Catal. Génér. des Manuscrits... des Départements* I, 444; Palat. Vatic. lat. 212 s. IX-X fol. 10^v; 220 s. IX ineuntis fol. 18; 430 s. IX-X fol. 182; 556 s. IX-X fol. 33; cfr. STEVENSON, *Codices Palatini Latini Bibliothecae Vaticanae* I pag. 42, 46, 133, 178; Regin. Vatic. lat. 195 s. X fol. 61 (¹).

Huius veteris versionis nonnulla e codicibus Romanis ediderunt Zacagnius et Assemanus (²), quos tamen fugerunt exemplaria litterarum formis labente saeculo XV expressa, quibus hi continentur

Libri Santi Effrem De	}	Compunctione cordis
		Iudicio dei et Resurre. et.
		Beatitudine Anime
		Penitentia
		Luctamine spiritali
		Die Iudicii

Sine loco, anno et typogr.

Cfr. HC 6597 = H 6598 Basileae, Ioh. de Amerbach; Pellechet 4580 Basileae, Iacobus (Wolff) de Pforzheim; Proctor 7711 Basileae, Iacobus (Wolff) de Pforzheim; Burger p. 644 Basileae, Iac. (Wolff) de Pforzen, Pfortzen civis Basiliensis; Voullième Berlin 555 Basileae, Iakob (Wolt) von Pforzheim; British Museum Catal. III p. 693 Freiburg im Breisgau, Kilianus Piscator (Kilian Fischer); Collijn Uppsala n. 526 Collijn Stockholm n. 390 Basel, Iac. Wolf von Pforzheim um 1498; H 6601 Sex Sermones selecti Norimbergae per Antonium Koburger 1492; Panzer II 211^v-212; Burger p. 455.

Nemo itaque non videt quam temere se gesserit Valentinius, qui, tanta et titulorum et divisionum discrepantia in designandis disper-

(¹) Cfr. praeterea QUENTIN, *Manuscrits démembrés, Revue Bénédictine*, 28 (1911) pag. 258-9, qui animadvertit fragmenta codicum Parisini 10399 et Ambianensis 12 olim ad unum eundemque codicem pertinuisse.

(²) ZACAGNIUS, *Collectanea Monumentorum Veterum I*, Romae pag. 106-121; R. III gr. lat. p. 553-560, 578-583.

tiendisq̄ue sermonibus perspecta (pag. 39), cautior in iudicando esse et suspicari saltem debuit interpretationem latinam iamdiu ante saeculum duodecimum membranīs fuisse traditam ⁽¹⁾.

Item temere ac nulla ratione adhibita adfirmavit Valentinius nullum scriptorem ecclesiasticum ante Vincentium Bellocensem hanc veterem interpretationem compertam habuisse. Quin contra Sancti Ephraem sermones tot exemplaribus longe lateque diffusos non modo viri, qui ecclesiasticam et monasticam vitam profitebantur, legebant et terebant, sed etiam saepe excerpterunt qui libros de rebus asceticis conscripserunt. In quibus paucos memorabo:

1) ALBARUM, sive potius eum, quisquis est ille qui *Scintillarum librum* saeculo octavo congegit ⁽²⁾: cfr. Migne PL 88 col. 602 A, 608 A, 613 D, 635 D, 671 B, 673 C, 676 C;

2) ALCUINUM, qui in *Officia per ferias* duas orationes Sancti Effrem diaconi inclusit e libro de *Compunctione cordis* excerptas; cfr. Migne PL 101 col. 606, 607;

3) SMARAGDUM, qui ineunte saeculo nono *Diadematis Monachorum* capita 86-88 ex Ephraem conflavit; cfr. Migne PL 102 col. 679 B - 681 A.

⁽¹⁾ Ceterum discrepantia titulorum et divisionum multo minor est, quam quae primo aspectu apparet: nam magnam partem ex hoc dependet, quod liber de *Compunctione*, sive *Monita* (Dolor me compellit dicere), modo primam modo ultimam sedem occupat; cfr. Rose, o. c. II. 1, pag. 90. Quod si Valentinius diligentius codicem Casanatensem 1366 perspexisset, intellexisset sane nulla prorsus verba in extremo sermone intercidisse, sed foliorum tantum ordinem turbatum esse. Namque reliqua sermonis persequi possumus fol. 82-89 v.: « Quomodo si quis attendat in speculum... in regno tuo. et fol. 24-24 v.: Et ne memineris - Gloria Spiritui sancto, qui redemit nos Amen. Explicit liber sci Effrem diaconi. Incipit liber venerabilis famuli dei Nil. (sic) monachi de octo principalibus viciis ». Foliorum ordo ita restituendus est: fol. 112-125, 82-89, 24-43, 52-67, 70-71, 68-69, 74-75, 72-73. Quae cum ita sint, nihil negotii est scribae arbitrium dignoscere in sermonum titulis, ambitu, numero mutandis, si vestigia persequamur folii 90: « Incipiunt capitula de opusculis que in hoc codice continentur (sic): libri (curruptus ex: libr. I) sancti Effrem diaconi de gloria celesti et resurrectione: II De beatitudine animae (94 v.): III De paenitentia (97 v.): IIII de luctaminibus huius seculi (101-102, 107). V de die iudicii (107 v.-112): VI de compunctione cordis (112-125, 82-89, 24-24 v.): VII de libro sancti Effrem diaconi: VIII De iudicio dei et resurrectione: VIII De regno celorum et mundicia anime (Incipit: Gloria omnipotenti Deo) ». Inde patet, numeros VII-VIII falso additos esse a librario, qui non animadvertit verba « De libro sancti Effrem diaconi-mundicia anime » pertinere ad titulum libri primi.

⁽²⁾ Cfr. MANIUS, *Geschichte der Lateinischen Literatur des Mittelalters* I pag. 422 s.

Postquam Valentinius quid sentiret de antiqua versione latina disserendo exprompsit, quaerendum putavit (pag. 44-46), num forte Ambrosius Traversarius ⁽¹⁾ horum sermonum translationes compertas habuerit.

« Ac, ne plura consector, curiosa sane utriusque versionis pervestigatio nullum mihi praebuit indicium quod imitatore redoleret, quod ornatius explicare aut planius exprimere videretur tam asperum horridumque orationis genus, quod denique non plenum in transfereundo Ambrosii arbitrium nullique obnoxium comprobaret. Neque tamen induci possum, ut credam — quamquam tanto viro recusare fidem veluti quadam verecundia inhibemur — nihil Ambrosium de hac nostra explicatione inaudisse ».

Haec Valentinius, qui ad suspicionem augendam his utitur argumentis:

1) Ambrosii aetate Vincentii Bellovacensis *Speculum Historiale* in omnium manibus fuisse;

2) primam Ambrosii translationem typis mandatam septem tantum sermones comprehendere, cuius rei locupletissimus esset testis epistula ad Cosmum Mediceum data;

3) numerum sermonum primae Ambrosii translationis non fortuito tantum ad amussim cohaerere cum numero codicibus prolato,

4) cum praesertim Ambrosius instituto quodam suo ad extirpanda penitusque obliteranda superiorum interpretum opera nonnullas translationes sibi renovandas suscepit.

At haec argumenta et rationes non satis firma Valentinio quoque visa sunt, cum subiungat: « Ceterum, scripseritne Ambrosius Ephraem latini fuisse sermonis ignarum sive quod quae circumferebatur explicatio latina dici nequiverat, sive quod nullus innotuerat illius

⁽¹⁾ Ambrosius Traversarius, Ordinis Camaldulensium abbas generalis († 1439), vir pro saeculi sui captu eruditissimus, utriusque linguae peritissimus, multa veterum scriptorum et patrum graecorum opera latine vertit, e quorum numero sunt undeviginti S. Ephraem Sermones, cuius doctrina et pietate tam mirifice se adfectum esse profitetur, ut quodcumque reperire potuisset graecae, latine facere gestiret (vide infra). Conciliis Ferrariensi et Florentino Graecae linguae peritia ad concordiae negotium plurimum contulit. Plus semel graecae peroravit coram episcopis graecis et imperatore Ioanne Palaeologo, qui fassus est, Latinorum neminem Graecam linguam adeo callere ut Ambrosium. Pacta inter Graecos et Latinos concordia, Ambrosii et Bessarionis spectatae eruditioni atque doctrinae datum est, ut unionis ineundae formulam componerent. Quam optime Ambrosius sit de religione et litteris meritis, breviter sed apte dicit PASTOR, *Storia dei Papi I, vers. ital. di A. Mercati*, Roma 1910, pag. 44 s.

translationis codex, cum parum sit compertum, in dubio relinquemus » (pag. 46).

Quae quam falso asserantur, ex iis quae de Ambrosii Camaldulensis translatione ad historiae fidem dicendo prosequemur, facile patebit.

1) Ex Epistula fratris Ambrosii in traductione Ephraem
(= Epist. XXIII, 9 Mehus col. 965-7).

« Peregrinum nuper offendi e Syria,.... profectum ad nos.... Quid gaudii, quid solatii.... ex hospitis adeo insignis ore percepi, cum me dies ac noctes plurimas perpetua oratione adloqueretur?.... Verum inter haec gaudia nostra, quibus plures dies incredibiliter affectus sum... saepe in mentem veniebas, cupiebamque te festivitatis nostrae tantaeque laetitiae participem fieri, tantique hospitis, si fieri ulla ratione posset, gustum aliquem capere. Sed cum perdifficile id videretur, quia esset ille penitus nostri sermonis ignarus, induxi placidissimum senem, ut commodi tui atque consolationis causa latine quoque loqui disceret. Neque sane abnuat senior sanctus... meque docente *paucis diebus ita linguam nostram consequutus est*, ut meo quidem iudicio latine melius et eruditius loquatur quam graece.. (1). Cupit enim ille te liberum expeditumque secretius alloqui. Quod cum alias semper utiliter faceres, tamen *hoc sacri solemnisque ieiunii tempore* necessarium tibi faciendum esse censeo... Nihil enim ille humile, nil abiectum, nil molle, nil infimum aut sentit aut loquitur; sed omnis eius oratio de Deo est rebusque divinis, de poenitentia, de iudicio futuro, de aeterna vita, de gaudio iustorum, de reproborum poenis, de acquirendis consummandisque virtutibus, de vellendis radicibus vitiis... Qui si videbitur interdum horridiore genere dicendi uti, omnemque fere cultum orationis omittere... partim *immodicae festinationi meae* acceptum referendum. Dum enim illum ad te mittere tuisque votis morem gerere praeproperere studeo, minus fortasse limatus evaserit quam si *plusculum temporis fuisset apud me* ».

2) (Epistula VIII, 18 Mehus col. 318). — Ambrosius Nicolao suo plurimam salutem.

« ... Peto autem ut volumen unum Chrysostomi ex his quae sunt Conventus Sanctae Crucis, in quo nisi fallor, quaedam opuscula Ephrem Syri habentur de laudibus Ioseph, ad me mittas. Transtuli enim pleurosque illius viri sermones Cosmoque nostro dicavi, vellemque addere,

(1) Respicere videtur Ambrosius ad codicis graeci sordes, quas animadvertit etiam is qui tabulam codicis confecit: cf. pag. 185 « sed minus orthographe — ubi liber est mendosus ».

si quos reperirem. Mirifice enim adficio doctrina et pietate viri, statimque quodcumque reperire potero graece latinum facere gestio... ».

Cum Ambrosius dicit se nuper peregrinum offendisse e Syria profectum eumque hospicio aliquamdiu excepisse, imagine ac translatione utens significat 1) se volumen quoddam S. Ephraem sibi commodatum aliquamdiu in cellula sua habuisse, cuius doctrina et pietate... ita adfectus fuerit, ut gestiret latinum facere, 2) se totum volumen e Graeco in Latinum vertisse *paucis diebus, immodica festinatione, praeproperè*, ut Cosmo suo proximo quadragesimae tempore dicaret.

Cum autem plerosque Edesseni diaconi sermones transtulisset Cosmoque dicasset, volens addere si quos reperiret, petivit a Nicolao de Nicolis, ut ad se e conventu Sanctae Crucis mitteretur volumen Chrysostomi, in quo haberentur quaedam opuscula de laudibus Ioseph.

Quae Ambrosii verba non modo confirmare sed etiam ita definire et inlustrare possumus, ut si quis quaerat, quo tempore Ambrosius, quibusque graecis manuscriptis usus Ephraem opuscula transtulerit, ad utramque rem facilis et prompta sit responsio.

Quod quidem ad tempus attinet, quamquam « epistula fratris Ambrosii in traductione Ephrem » ad Cosmum data nota temporis caret, nemoque e doctis viris, qui de Ambrosii vita et scriptis egerunt, in his Mehus, Dini-Traversarius⁽¹⁾, definire studuit, quo anno Ambrosius hanc translationem susceperit absolveritque, tamen ex epistula ad Nicolaum de Nicolis, quae ad annum 1426 videtur pertinere⁽²⁾, eruitur Ambrosium eo anno vel paulo antea plerosque Ephraem sermones transtulisse. Quare non mediocriter errat Assemanus haec de translationis absolutae anno scribens: « Circa annum 1430 e Graeco transtulit... sermones XIX » et paulo post: « Quo autem id anno contigerit, Ambrosius non exprimit. Sed ex Manuscriptis Vaticanis colligi potest: quorum unus num. 258 notatus, exaratus dicitur per Dominicum Floren, die 19 Decembris, anno 1435... Ante annum itaque 1435 Sermones illi in publicam lucem per amanuenses prodierant »⁽³⁾.

⁽¹⁾ Cfr. MEHUS, *Ambrosii Traversarii Epistolae*, Florentiae 1746 pag. CCCXCII; DINI-TRAVERSARI, *Ambrogio Traversari e i suoi tempi*, Firenze 1912 pag. 131.

⁽²⁾ MITTARELLI-COSTADONI, *Annales Camaldulenses* VI pag. 313; LUISSO, *Ricerche cronologiche per un riordinamento dell'epistolario di Ambrogio Traversari* in *Rivista delle Biblioteche e degli Archivi* 10 (1899) pag. 75.

⁽³⁾ S. EPHRAEM, *Opera* I gr.-lat. pag. XIII et VATTASSO-FRANCHI DE' CAVALIERI, *Codices Vaticani Latini* I pag. 187. Codicis Vaticani Latini 258 folium 104^v haec exhibet rubris litteris exarata: *Expletum die XVIII^o decembris per me dominicum florentinum. Anno. | MCCCXXXV.*

Codex enim Florentinus sex annos ante quam codex Vaticanus exaratus est, codex nempe Strozianus XIII, cuius in calce legitur: « Absolvi ego Antonius, Marii filius, Florentinus civis, Florentiae Idus Februarii MCCCCXXIX » (1).

Ergo anno 1426, vel saltem ante annum 1429, absoluta est Ambrosiana undeviginti sermonum interpretatio latina, quae sexcentis libris cum manu scriptis tum litterarum formis descriptis continetur.

Quod autem ad Graeca volumina spectat, e quibus Ambrosius sermones latine reddidit, certum est quid respondeam: nam facile demonstraturus mihi videor duo tantum eum adhibuisse nunc in Bibliotheca Barberina exstantia, quorum alterum sermones I-XVIII, alterum laudationem pulcherrimi Ioseph postremo loco continet.

Prior codex, Barberinus graecus 528 (olim V. 24), cuius descriptionem videbis apud Assemanum *R. I. gr-lat.* col. CXLVIII s. et *Analecta Bollandiana* 19 (1900) p. 99 s. suo genere singularis est: nam e tot tantisque Graecis S. Ephraem manuscriptis duodeviginti sermones exhibet et eos eodem ordine dispositos eodemque rerum et verborum contextu redactos atque in Ambrosii translatione.

Cuius codicis prima pagina continet haec recentiori manu exarata: « N. XXXI (2) 25 de III^o banco ex p(ar)te orientis.

Plures omelie Iohannis Grisostomi, Cōuētus S. Marci de Flo(renti)a ord(inis) P(rae)d(icatorum).

De hereditate Nicolai de Nicolis.

Iohannis Chrysostomi Homiliae XXI: quae statuae inscribuntur... et Sancti Ephrem responsiones ad monachorum quesita: et Sermones pulcherrimi De mysteriis multis fidei Deque virtutibus et aliis piis argumentis, sed minus orthographe scripta sunt haec omnia: Ideoque docto lectore indigent, qui bene intelligendo sibi satisfaciat ubi liber est mendosus ».

In calce vero legitur: « Caroli Strozzae Thomae filii 1635 ». Ergo cum ex iis quae codex iste complectitur, tum ex possessorum testimoniis patet hunc esse profecto codicem, de quo agit Ambrosius in « Epistula in traductione Ephraem ».

Sed etiam designare possumus quodnam fuerit volumen unum Chrysostomi, quod Ambrosius a Nicolao de Nicolis petivit, ut inde quaedam Ephraem Syri de laudibus Ioseph transferret. Est nempe codex Barberinus 523 (olim V. 19), membranaceus sae-

(1) Cfr. BANDINI, *Bibliotheca Leopoldina Laurentiana* II col. 312.

(2) Hunc numerum addidit manus alia, postquam codex in Bibliothecam Barberinam inlatus erat.

culi XI complures continens homilias, quarum maxima pars Chrysostome debetur.

Quo libro, quamquam nulla adnotatione ostenditur pertinuisse ad Bibliothecam S. Crucis vel ad Nicolaum de Nicolis, sed tantum in calce primi folii notam praefert: « Caroli Strozzae Thomae filii 1635 », attamen Ambrosium usum esse evincunt permulti translationis Ambrosianae loci, qui huius libri proprias varietates reddunt (1).

Postquam duos codices agnovimus, quibus nisus Ambrosius undeviginti Ephraem sermones Graecos latine fecerit — quod quidem magni momenti et ponderis est ad Ambrosii interpretandi rationem penitus noscendam — exponere iuvat quatenus fuerint primae editiones versionis Ambrosianae.

1) Ephrem Sermones secundum traductionem Ambrosii Camaldulensis.

ult. fol. MCCCCLXXXI Augusti XXIII, Impressum Florëtie per Antoniũ bartholomei mischomini.

Cf. HC. *6599; Pell. 4582; Pro. 6138; B. p. 501; V. B. 2888.

2) Ephrem Sermones secundum traductionem Ambrosii Camaldulensis.

Impressum Brixie per presbyteri Baptistã Fargengo anno dñi MCCCCLXXX. Die. XV. November (sic).

(1) Sufficiat quattuor afferre exempla:

a) Hic enim profecto hic sanctus puer a prima statim aetate Christi et primum quoad nos ex virgine prodiit, et secundum, quo summo pavore concutiet omnia signavit adventum.

Ὅτος γάρ, οὗτος ὁ παῖς ἐκ νέας ἡλικίας τοῦ Χριστοῦ διέγραψε τὴν πρώτην γενναμένην ἐκ παρθένου Μαρίας καὶ τὴν μέλλουσαν ἐκθροεῖν τὰ σύμπαντα παρουσίαν.

Lectio codicum reliquorum est: Ὅτος — ἡλικίας τὰς δύο παρουσίας τοῦ Χριστοῦ διέγραψεν τὴν πρώτην γενναμένην — καὶ τὴν μέλλουσαν πάλιν ἐκθροεῖν τὰ σύμπαντα.

b) Et Dominus noster triduum in inferno permansit, ut potens etiam corruptionem temptatus.

Ὁ δὲ Κύριος ἡμῶν τρεῖς ἡμέρας ἐν Ἅιδῃ ἔμεινεν ὡς δυνατός, καὶ ὑπομείνας φθοράν.

Lectio vulgaris est μὴ ὑπομείνας
c) Dum repente is qui fuerat ab eis peremptus magna fretus potestate super illos regnare deprehensus est.

Ὁ δὲ δοκῶν ὑπ' αὐτῶν διαπεφθάρθαι ἐν ἀδείᾳ εὐρέθη αἰφνιδίως βασιλεύων ἐπ' αὐτούς.

Vera lectio est ἐν Ἅιδῃ.

d) Re enim vera virtus saepe ab iniquitate dissentit neque illi congrue potest.

Ἀληθῶς γάρ ἀρετὴ οὐ δύναται συμφεῖν μετὰ τῆς ἀδικίας.


Lectio comunis est συμφεῖν pro συμφεύγειν.

Cfr. H. 6600; C. I. 6596; Pell. 4583; Pro. 7014; B. p. 397; Ped. 157; V. B. 2835.

Utraque editio continet sermones ab Ambrosio Camaldulensi tractos e codicibus nunc Barberinianis gr. 528 et 523, ut sequens tabella editionis Florentinae comparata cum membranaceis libris plane demonstrat.

Tabula super sermones Ephrem diaconi: secundum translationem Venerabilis patris Ambrosii Camaldulensis.

Sermo primus. - De poenitentia	char.	ii = Barber. gr. 528 fol. 193	
Sermo secundus. - De iudicio: et resurrectione: et charitate et cōpunctione	char.	xiii =	210
Sermo tertius. - De iudicio: et resurrectione	char.	xvii =	216
Sermo quartus. - De uita et exercitatione monastica.	char.	xviii =	218
Sermo quintus. - q(uod) non oportet ridere: sed flere ac lugere.	char.	xxxvii =	250
Sermo sextus. - Ad animā negligentem.	char.	xxxix =	255
Sermo septimus. - Ad monachos: de scis quibusdā patribus qui tempore illo requieuerant.	char.	xxxx =	256
Sermo octauus. - De armatura monachi: q(uod) oporteat monachū ueluti militem in acie semper assistere	char.	xxxv =	259
Sermo nonus. - De cōuersioe et poenitētia	char.	xxxxx =	273
Sermo decimus (sic). - De secūdo dñi aduentu	char.	liii =	279
Sermo undecimus. - De timore dei	char.	lv =	283
Sermo duodecimus. - De angustia qua praenitur aia: cum ex pugna cōtra se hostis infirmior fit	char.	lvii =	285
Sermo tertius decimus. - De compunctione	char.	lx =	290
Sermo quartusdecimus. - De passione domini.	char.	lxii =	291
Sermo quintusdecimus. - Ad eos qui filii naturam scrutari uolunt	char.	lxv =	298
Sermo sextusdecimus. - De antichristo	char.	lxxviii =	303
Sermo septimus decimus. - De uirginitate	char.	lxxiiii =	(¹)
Sermo octauusdecimus. - De laudibus martyrum.	char.	lxxvi =	310
Sermo nonusdecimus. - De laudibus sancti Ioseph patriarchae	char.	lxxix = Barber. gr. 523 fol. 61	

(¹) Cum quaternionis nūc nunc supersint duo folia, , desiderantur plurima sermonis *De Antichristo* et initium sermonis *De Virginitate*.

Quod autem ad editionem Iacobi Britannici Brixiani, Brixiae 1490 15 nov. attinet, memoratam ab H. 6596, B. p. 363, Ped. 107, pro certo habeo eam numquam fuisse, sed tantum per Hainii errorem a praecedenti editione distinctam esse.

3) Sermo Sancti Ephren (sic) de penitentia ab Ambrosio e Greco in latinum traductus.

Sine loci, anni, librarii nota.

Cfr. Audiffredi pag. 362 n. XV; HC. 6602; Pell. 4581; Pro. 3897; B. p. 592.

Hoc incunabulo continentur:

fol. 1. Dominus qui de alto patris sinu descendit ad terras = Ὁ κατελθὼν Κύριος ἐκ τοῦ κόλπου τοῦ πατρὸς = R. I. gr. lat. 148.

fol. 4. De timore dei. Incipit Sermo Sancti Ephren.

Attende tibi ipsi dilectissime: ne quando in negligentia et vanitate = Πρόσεχε σαυτῶ, ἀγαπητέ, μήποτε ἐν ἀμελείᾳ καὶ μετεωρισμῶ = R. II. gr. lat. 165.

fol. 7. De compunctione eiusdem sancti Ephren (sic).

Indultor bonorum omnium: fonsque sanitatum = Δωτήρ πάντων ἀγαθῶν καὶ πηγὴ ἰαμάτων = R. I. gr. lat. 154.

fol. 10. Eiusdem de angustia qua primitur (sic) anima.....

Anima angustia pressa accedit ad te = Ψυχὴ τεθλιμμένη προσέρχεται σοι = R. I. gr. lat. 193.

fol. 13-26. Sermo sancti Ephren de caritate, iudicio: et compunctione: et paenitentia per Ambrosium e greco in latinum translatus.

Dilectissimi nihil sancte caritati preferamus = Ἀγαπητοί, μηδὲν προτιμησόμεθα πλέον τῆς ἀνυποκρίτου ἀγάπης = R. II. gr. lat. 209.

Continet igitur hic libellus quinque modo versionis Ambrosianae sermones ita dispositos ut primus nono, secundus undecimo, tertius decimotertio, quartus duodecimo, quintus primo respondeat. Quoniam vero nullus exstat, quod sciam, codex sive graecus sive latinus hanc syllogem perhibens, est cur suspicemur eam depromptam esse ab editione Antonii Mischomini. Neque enim temporum ratio impedit, quominus id coniectura assequamur. Nam quamvis libellus qualibet loci, temporis, officinae nota careat, constat tamen inter doctos viros qui se ad incunabula typographica describenda applicuerunt, libellum Romae ab Euchario Silber excusum esse inter annos 1482-1493, per quod annorum intervallum Eucharius usus est eodem typo 88 R ¹/₂, quo quinque sermones excusi sunt (¹).

(¹) Cfr. *Catalogue of Books printed in the XVth Century now in the British Museum* Part IV, pag. 103.

Quae cum ita sint, emendandus est Assemanus et qui eum secutus est Lamyus, qui adfirmant primam omniumque vetustissimam Ambrosii interpretationis editionem sermones quinque continentem prodiisse in lucem per magistrum Bartholomaeum Guldinbeck de Sultz. Anno 1475 ⁽¹⁾. Assemanus in hoc erravit, quod Ephraem libro de paenitentia inscriptionem attribuit, quae invenitur in fine libri Ioannis de Turrecremata *De efficacia Aquae benedictae* ⁽²⁾, qui cum illo compactus erat. Cuius rei amplam confirmationem invenies si adnotatione Assemani margini col. LXXXIV adscripta admonitus: « Antiquissima Ambrosii editio, sine nota anni et typographi: in 4, exstat in Bibl. Vat. cod. Lat. impress. 2115 », contuleris *Codicum Typis Editorum Bibliothecae Vaticanae Inventarium* anni 1686. Inde enim elicies sub n. 2115 hos olim contentos esse libros:

IOANNIS DE ANANIA et FELINI SANDAEI *de Iubilaeo* in 4.;

Item ISIDORI VALSERANI *Trattato d'indulgenze* Venet. 1583;

Item IOANNIS DE TURRECREMATA *de Aqua benedicta* Romae 30 Augusti 1475;

Item ANTONII DE ROSELLIS *de Ieiuniis* p. 100;

Item S. EPHREM *Sermones aliquot ex interpretatione Ambrosii Monachi* = Biblioth. Vatic. Incunab. Ital. 960 [IV. 511 (11)], ut e foliorum numeris patet;

Item SELENCI *Libellus de Infantia Salvatoris a B. Hieronymo translatus*.

Ergo prior editio versionis Ambrosianae sermones XIX completens est Florentina impressa anno 1481 per Antonium de Mischo-minis, altera Brixiana est anno 1490 a Baptista Fargengo impressa: quibus accedit editio Romana quinque sermones exhibens ab Euchario Silbero inter annos 1482-1494 excusa.

His igitur expositis et perpensis, quid verbis opus est, ut demonstremus ea quae Valentinius de Ambrosii translatione et editionibus coniecit, infirmis argumentis niti, ideoque omnino reicienda esse? Quis est qui non videat, ex ipsius Ambrosii verbis *festinanter, paucis diebus* omnes Ephraemianos sermones codicis Barberini gr. 528 latine vertentis, omnem fidem adimi Valentini verbis: « Huc accedit, maximi quidem momenti ac ponderis, quod prima Ambrosii translatio septem tantum sermones comprehendit, cuius rei locupletissimus est testis epistula ad Cosmam data...? ».

⁽¹⁾ Cfr. R. I gr.-lat. col. XIII, LAMV, *S. Ephraem Syri Hymni et Sermones* I col. LII.

⁽²⁾ Cfr. H. 15744, Pro. 3554.

Quomodo in hanc rem testem locupletissimum Valentinius adhibuit *epistolam fratris Ambrosii in traductione Ephraem*? Idque eo magis quaero, quod interpres loquitur non de singulis sermonibus, sed summam quamdam praeponebat orationis Diaconi Edesseni, quae « omnis de Deo est rebusque divinis, de poenitentia, de iudicio futuro, de aeterna vita, de gaudio iustorum, de reprobatorum poenis, de acquirendis consumandisque virtutibus,.. de evellendis radicibus vitii ». Quibus sane verbis Ambrosius quorundam sermonum non expressit signa sed adumbravit, ut repraesentaret Sanctum Doctorem « vitia ubique resecantem laudantemque virtutes, affectusque denique nostros ad amorem Dei saeculique contemptum, atque ad ambienda aeterna praemia formidandaque supplicia potentissime moventem ».

Ceteroquin quinam hi fuerint sermones scimus profecto, pace Valentini dixerim, qui haec scribit: « Quinam hi fuerint profecto nescimus, at eorum numerum fortuito tantum ad amussim cohaerere cum numero a Codicibus nostris prolato, quaeso, quis credat? ».

Quis contra non videt sermonum ab Ambrosio in Latinum conversorum numerum a libris et manu et typis exscriptis traditum nullo pacto cum numero sermonum antiquissimae versionis codicibus Casanatensi 1366 et Vaticano 6443 prolato cohaerere?

Quid ergo erat, quaeret aliquis, quod Valentinium adduceret ut hoc sibi persuaderet et palam profiteretur primam Ambrosii translationem septem comprehendisse sermones? Nisi fallimur, huius rei falsam opinionem Valentinio praebuerunt Martenius et Durandius, apud quos scriptum legimus in opere saepe in commentatione Valentini prologo *Veterum Scriptorum Collect.* III, Parisiis 1724, col. 702: « Ambrosii Camaldulensis epistola in versionem VII, homiliarum S. Ephrem. Ex ms. Reginae Sueciae » et in Indice rerum et verborum: « S. Ephraem homiliae VII ab Ambrosio Camaldulensi traductae ».

Ceterum Martenium et Durandium peregrinos atque hospites in hac provincia fuisse ex eo apparet quod ex Cod. Reginensi lat. 1612 epistolam ediderunt, cum liceret praestantioribus libris uti ⁽¹⁾.

(1) Codex Reginensis miscellaneus est saeculi XV exeuntis: quod ad Ambrosii versionem attinet, mutilus est (fol. 162-181 continentur epistula ad Cosmum et duo primi sermones, quorum ultimus pervenit usque ad verba: « Compunctio, Karissimi. Ihesum unigenitum Dei... ») caretque inscriptionibus. Quare error non est a librario profectus, neque a summo Mabillonio cuius « tertius hic tomus totus est », sed ab editoribus pag. 3 admonentibus: « His subiiciemus eas (epistulas) quas variis libris seu translationibus a se editis praemisit ».

Quoniam igitur ad finem disputationis pervenimus, denique, quae demonstrasse nobis videmur, ea quam brevissime comprehendamus.

I. Quae ingenti numero codicum saeculis VIII-XIII exaratorum continetur Latina Ephraem interpretatio ad prima medii aevi saecula (fortasse ad V saeculum) pertinet: inde locos excerpserunt Albarus, Alcuinus, Smaragdus.

II. Ambrosii Traversarii interpretatio, anno circiter 1426 confecta, pendet, quod attinet ad sermones I-XVIII ex codice Barberino-Vaticano graeco 528 saeculi XI, quod vero ad sermonem XIX De laudibus Ioseph, a cod. Barberino-Vaticano graeco 523 saec. XI.

III. Saeculo quintodecimo, antiquissima translatio semel tantum typis excripta vulgata est: Ambrosiana autem cum editionibus Florentina anni 1481 et Brixiensi anni 1490 integris, tum Romana quinque sermones continente divulgata est.

SYLVIVS IOSEPH MERCATI.
